

Pio Ciprotti

Animadversiones ad Schema "De iure poenali canonico"

Prawo Kanoniczne : kwartalnik prawno-historyczny 19/1-2, 3-11

1976

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](#), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

ROZPRAWY I ARTYKUŁY

Prawo Kanoniczne
19 (1976) nr 1—2

PIO CIPROTTI

ANIMADVERSIONES AD SCHEMA „DE IURE POENALI CANONICO” *

Gratias maximas habeo Rev.mo et Cl.mo Professori Żurowski propter benignissima verba, quae erga me dixit. Verum mihi est honori, non vobis, me posse aliqua verba de iure canonico in hac veluti catholicitatis insula inter Slavas gentes posse dicere, in hac regione, quae tam praeclara est et celebris in ecclesiasticorum studiorum historia.

Statim in rem ingredior, etsi mihi videtur maiorem et meliorem temporis partem discussioni esse dandam, mihi autem potius problemata quaedam esse ponenda ac proponenda ad disputationem introducendam.

Itaque omnes nostis in ardua recognoscendi et emendandi iuris canonici opera unam ex partibus in quibus plura eaque graviora exstiterint problemata fuisse ius poenale.

Primum autem problema, ceteris praevium, fuit utrum haec iuris canonici pars servanda sit necne, cum ex iis quoque, qui non propugnant iuris abolitionem in Ecclesia, haud pauci tamen ius poenale contendant aut auferendum esse aut ad minimum reducendum, quasi cum Ecclesiae natura et indele minus possit componi.

Atqui, etsi non debet exaggerari vis ac pondus systematis iuridici in Ecclesia, nullum est dubium quin iuridicus quoque ordo et possit et debeat in Ecclesia exstare; iuridicus autem ordo consi-

* Referat wygłoszony w dniu 21. X. 1974 r. na Ogólnopolskiej Sesji Kanonistów organizowanej przez Wydział Prawa Kan. A.T.K.

Wstępne powitanie prof. Ciprotiego przez dziekana Wydziału Ks. Prof. Mariana Żurowskiego:

Sono molto lieto e mi prego di poter salutarla, Signor Professore, nella nostra Accademia, specialmente nella nostra Facoltà di Diritto Canonico. Ci sentiamo anche molto onorati di poter ospitare la Sua consorte, che si è compiaciuta partecipare nelle nostre riunioni.

La conosciamo, Signor Professore, come l'autore delle numerose pubblicazioni di valore nel campo del diritto penale, e della procedura giudiziale. Ella è ben noto come partecipante ai congressi internazionali e come membro della Commissione per la riforma del diritto canonico. Perciò apprezziamo ancora di più il Suo arrivo a Varsavia, così possiamo sentire dalle Sue labbra la relazione ed i commentarii sui combiamenti in corso.

La prego di voler tenere la Sua conferenza.

stere nequit sine sanctionibus, hae autem nonnumquam poenalem indolem habeant opertet, ut sint efficaces.

Non agitur sane de coactione adhibenda directo ad animas salvandas, videlicet ad eas cogendas ne peccent, sed tantummodo ad servandum socialem ordinem deterrendo homines a transgressionibus et scandala aliaque societatis damma praeveniendo et reparando vel minuendo. Nam „interior salus et reconciliatio cum Deo voluntaria esse debet”¹, cum norma et praecpta iuridica possint et debant servari etiam contra voluntatem eius, qui parere iubetur. Iudex autem, ut animadvertisit S. Thomas, „in puniendo intendit principaliter bonum commune, quod provenit multitudini ex punitione illius, secundum illud Prov. (XIX, 25) pestilente flagellato, stultus sapientior erit”²; cui concinit Concilium Tridentinum: „huic ... poenitentiam publice iniungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet viam”³. Nec tamen ignorandum est fieri quoque posse ut poenae minuant peccata eorum quoque quibus poenae comminatio vel irrogatio fit, ut acute animadvertisit ipse S. Thomas: „per hoc quod aliquis incipt assuefieri ad vitandum mala et ad implendum bona propter metum poenae, perducitur quandoque ad hoc quod delectabiliter et ex propria voluntate hoc faciat, at secundum hoc lex etiam puniendo perducit ad hoc quod homines sint boni”⁴.

Ceterum poenale ius semper fuit in Ecclesia, ex primo iam saeculo, immo ex primis, dixerim, annis; primae autem canonicae collectiones — quae paucus quidem iuris normas praebent — nobis exhibent normas de liturgia, normas de praepositorum nominatione, normas poenales. Hae autem in eo praesertim versabantur, ut statuerant quibus casibus fideles essent a communione excludendi vel a nonnullis vitae socialis ecclesiasticae actibus, de publica iis poenitentia imponenda, de indignis a muneribus arcendis vel removendis. Itaque ius poenale canonicum per saecula constanter evolutum est et in canonibus et in usu, etsi interdum minores fuerunt facilitates et opportunitates applicandi.

Nuper autem illa „Principia quae iuris canonici recognitionem dirigant”, quae a Synodo Episcoporum in prima sessione probata sunt, iuris poenalis necessitatem in Ecclesia confirmarunt, cum in iis legatur:

„Suppressionem omnium poenarum ecclesiasticarum, cum ius coactivum, cuiuslibet societatis perfectae proprium, ab Ecclesia abiudicari nequeat, nemo canonistarum admittere videtur” (n. 9).

¹ Suarez, *De legibus et Deo legislatore*, 1. IV, c. 12, n. 10.

² Quaest. disp. VIII (de correctione fraterna), q. un., c. 12 ad 7.

³ Sess. XXIV, c. 8, de ref.

⁴ Summa theol. I-II, q. 92, a. 2 ad 4.

Omnis autem consentiunt, neque aliter opinari possunt, ius poenale canonicum vigens debere emendari: unus enim saltem defectus cui-libet est evidentissimus, quod, praeter casus delictorum poena la-tae sententiae punitorum, fere numquam iam applicatur ius poena-le. Huius facti multae quidem sunt causae, in quibus ipsae diffi-cultates inter Ecclesiam et civiles potestates, praesertim e saec. XIX ineunte, sunt recensendae; sed nonnullae causae in ipsius legis methodo ac substantia insunt, sive quod lex est difficilioris exse-cutionis, sive quod nimis sit toto orbe terrarum uniformis, sive quod non satis certos vel non satis congruos statuerit limites inter ea quae ab ipso legislatore decet determinari et ea quae a iudice vel superiore legem applicante debent prudenti arbitrio definiri, sive quod normae permulta sint vel inutiles vel imperfectae et hodierni temporis necessitatibus non respondentes, ita ut non aude-ant iudicet et praelati eas applicare.

Quaenam sint huius facti causae et quanem remedia, est in re-cognitione et emendatione iuris poenalis inquirendum (laboriosum sane opus!), si velimus futurum ius poenals magis consentaneum fore ipsius Ecclesiae naturae et supernaturali eius fini, ita ut pleni-ius animarum salutem — cui tuenda poenale quoque ius in Ec-clesia tendere debet — perpetuo ante omnia poenales canones pro-moveant.

Schema autem, quod vobis omnibus video notum esse, quod in-scribitur „Schema documenti quo disciplina sanctionum seu poena-rum in Ecclesia Latina denuo ordinatur”, est fructus operae per septennum a consultorum proprio coetu praestitae, ad ius poenale ita emendandum ut rectum et utile sit in exteriore Ecclesiae regi-mine instrumentum.

Cuius schematis quaenam sint notae praecipuae, et eae notae quae oppositioni maiorem ansam praebuerunt, velim hic vobiscum perva-stigare, sive quae ad schematis et singulorum canonum for-mam et constructionem attinent, sive quae ad ipsorum canonum substantiam.

Quod attinet ad formam et structuram, hoc praesertim est ani-madvertisendum, quod schema locutionibus magis technicis utitur (quod a nonnullis laudatur, a nonnullis vero carpit), ita tamen ut conetur hac ratione non difficiliores intellectu sed faciliores normas exprimere.

Magni quoque est momenti, quod in schemate fere ea omnia vi-tantur, quae ad doctrinam magis pertinent quam ad legislationem, uti sunt verba hortationes sapientia et praesertim definitiones. Id quoque — etsi a permultis laudatum est — in hoc tamen a non-nullis carpitur, quod nimis absolute sit servatum.

Verum, maioris sunt momenti ac ponderis nonnulla principia,

quae ad substantiam recognitionis iuris poenalis canonici attinent, de quibus oportet aliquid dicere et aliquid meditari.

Primum est veluti caput recognitionis, seperatio illa iuris poenalia a foro interno, quam iam sugesserunt „Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant” (cfr. n. 9: „Mens est ut poenae ... in solo foro externo irrogentur et remittantur”). Cuius separationis praecipua expressio in schemate fuit in hoc: quod nulla poena ecclesiastica prohibet recipere absolutionem sacramentalem peccatorum, ita ut iam desint in schemate omnes illae Codicis normae, quae ideo tantum necessariae erant, quia nonnumquam censuratus non posset peccatorum absolutionem recipere nisi prius a censura absolveretur. Aliter quoque exprimitur illa separatio, quod censura iam non vetabit, si schema a legislatore acceptetur, indulgentias lucrari.

Utique hac ratione munus iuris poenalis in Ecclesia valde reducitur, cum, etsi remanet — sicut universum ius canonicum — instrumentum quoddam ad animarum salutem procurandam, fiat tamen instrumentum magis remotum, quam antea videbatur esse.

Praestat autem hic saltem breviter significare quaestionem quandam, quae a quibusdam theologis et canonistis suscitata est, eo quod schema, cum praevideat excommunicatum arceri a ceteris sacramentis, eum tamen admittit ad sacramentalem peccatorum absolutionem (sed exceptio facta est etiam quod attinet ad infirmorum unctionem). Id nonnullis visum est quasi denegetur sacramentali absolutione poenitentem non solum cum Deo sed etiam cum Ecclesia reconciliari; ex quo, dicunt, si cum Deo reconciliatus est, non potest adhuc haberi extra Ecclesiae communionem.

Verum, nihil videtur absoni si quis, etsi cum Ecclesia reconciliatus, adhuc privetur in poenam quibusdam sacramentis, sicuti iure Codicis quoque accidit in nonnullis casibus (cfr. can. 855, 2251 etc.); nec tamen ex hoc debet dici 'extra Ecclesiae communionem', sicut Codicis quoque iure non dicitur esse extra Ecclesiae communionem is qui interdicti poena punitus est, licet vetetur omnia sacramenta recipere. Fortasse, si excommunicationis effectus debeant esse quales indicantur in schemate, minus congruum videri potest momen 'excommunicatio'; sed ita quaestio est tantum de verbis adhibendis, non autem de substantia (schema autem non amplius dicit, ut CIC can. 2257 § 1, excommunicationem excludere a communione fidelium). In summa dicendum mihi esse videtur, in poenis decernendis, quae res est de mero iure positivo, si Ecclesia plus potest facere — uti facit vetans excommunicatum quodlibet sacramentum recipere — potest et minus facere, id est, si velit, vetare non quodlibet sacramentum sed quaedam tantum, eum videlicet his bonis spiritualibus privans, sicut potest quemlibet, in poenam, quamvis in statu gratiae is sit, aliis bonis spiritualibus

privare.' Quaestio igitur videtur esse tantummodo de opportunitate — nisi est tantum de verbis — non autem de servando vel non servando principio aliquo theologico.

Haec autem fuit fortasse maxima difficultas et obiectio, in quam schematis normae inciderunt. Verum difficultas gravior a nonnullis immerito facta est, cum ex reconciliatione cum Ecclesia (cfr. Const. Lumen gentium, n. 17) impedimentum ne Ecclesia puniat consequi contendant.⁵

Alia mutatio maxima gravitatis inest in schemate, quod attinet ad promovendam poenarum applicationem.

Nam in C.I.C., etsi, praesertim in can. 1939 et sequentibus, multa relinquuntur prudenti Ordinarii arbitrio, quod attinet ad criminalem actionem promovendam, inest tamen obligatio incipiendi processum criminalem quoties certa vel probabilia et sufficientia ad accusationem instituendam argumenta praesto sint. Schema autem in hac re talem emendationem vigentis iuris proponit, quae penalis iuris in Ecclesia munus rite determinat et exprimit, pastorales necessitates in recto eoque eminentiore loco collocans: can. 27 enim statuit ut Ordinarius poenas irrogandas vel declarandas tunc tantum curare possit (iudiciale via vel administrativa, prout casus fert, et servatis normis quae limitant usum alterius viae), cum perspexerit neque fraterna correctione neque correptione neque aliis pastoralis sollicitudinis viis satis posse scandalum reparari, iustitiam restituiri, reum emendari, idque praevideat poenis efficacius posse obtineri. His autem verbis — quibus et fines poenarum quodammodo determinantur — diserte enuntiatur, ex eo quod iuridica norma necessario habeat coercibilitatis notam, non sequi ut, quotiescumque lex violetur, semper debeat punitio, praesertim in Ecclesia, adhiberi.

Hic can. 27 igitur, quo universum ius poenale in Ecclesia veluti reicitur in remedia omnino subsidiaria, est unus ex maxime fundamentalibus schematis canonibus. Haec norma autem non subrogat alias normas (qualis est in C.I.C. can. 2223 § 3 et 2288), quae permittunt poenas omittere etiamsi lex vel praceptum comminetur poenam obligatoriam, neque impedit usum, ex parte legislatorum vel praecipientium, poenarum facultativarum; sed est consideranda et servanda antequam deliberetur utrum processus iudicarius vel administrativus promoveri debeat ad poenas irrogandas vel declarandas. Ordinariorum autem erit tali pastorali sollicitudine et prudentia et regiminis sagacitate uti, ut norma, quae in can. 27 schematis proponitur, in Ecclesiae et animarum salutis bonum, non

⁵ Nonnulla de hac re vide apud P H I L I P S, *L'Eglise et son mystère au II^e Concile du Vatican*, I, Paris 1967, pp. 160 s. (et scripta ibi, adn. 65, allegata). Neque in veteri iure desunt exempla, quibus delicti reo cetera sacramenta denegantur post sacramentalem absolutionem.

in detrimentum disciplinae vergat; quod eo magis est attendendum, quod norma in can. 27 proposita attinet ad initium processus (iudicialis vel administrativi) non solum ad irrogandas, sed etiam ad declarandas poenas.

Aliae autem obiectiones vel dubia, quae, minoris quidem momenti, orta sunt, praestat ut hic recensem, brevibus additis declarationibus: nonnulla autem ad ipsa iuris principia attinent, nonnulla ad rem technicam et ad artem leges ferendi.

Hic autem primum recensendum venit principium, quod schema statuit de non applicando iuer poenali ecclesiastico ad acatholicos, nisi lex vel praeceptum aliter caveat (firmum enim manet omnes baptizatos posse ab Ecclesia in externo quoque foro puniri).

Alia mutatio maxima gravitatis proponitur in schemate quod attinet ad imputabilitatem, cum, contra ac fit in C.I.C. (cfr. cann. 2199, 2203 § 1, 2229 § 3 n. 2), dicatur puniri posse eum tantum qui dolo egerit, nisi lex vel praeceptum aliter caveat; quod principium congruit cum communiori usu codicum poenalium civitatum, qui crimen vel delictum ex culpa patratum non puniunt, nisi expresse lex aliud statuat (aliter res se habet, si minores transgressiones, quae neque crimina neque delicta habentur, inspiciamus). In speciali autem schematis parte, in qua nonnulla delicta singillatim recensentur (quae videlicet hac lege pontificia punienda videntur uniformi ratione in tota Ecclesia), nullum delictum culposum recensetur, sed tantummodo delicta dolosa, ita ut legislatores particulares et superiores praecerta poenalia ferentes debeant, si necessarium et utile sit, poenas in delicta culposa comminari; etiamsi autem ita schema servetur, nihil vetat Summum Pontificem in aliqua lege futura etiam culposa quaedam delicta punire.

Ad maiorem autem mitigationem schema proponit ut non amplius praesumatur — ut in C.I.C. can. 2200 § 2 — dolus, sed tantummodo imputabilitas, quod est praesumitur delictum aut ex dolo aut ex culpa esse patratum; ideoque, si, ut plerumque fiet, delictum non exstet nisi ex dolo, haec praesumptio non satis sit ad auctorem damnandum, cum non sit praesumptio de dolo. Praeterea, contra ac fit in C.I.C., ad praesumptionem evertendam non postulat schema ut contrarium probetur, sed tantummodo ut „contrarium appereat”. Perspicio autem praesumptionem hanc, etsi ita coarctatam, posse nonnullis displicere, cum non tantis rationibus innitatur, quantis praesumptio de matrimoniali consensu in C.I.C. can. 1086 § 1, praesertim in casibus — qui rari forte erunt, sed non impossibles, ut dixi — in quibus legislator delictum aliquod culposum statuat puniendum, et factum concretum tale sit ut certo desit dolus.

Ad subsidiarietatis principium servandum, et simul et ad necessariam principiorum iuridicorum uniformitatem, in Ecclesia ser-

vandam, schema ita compositum est ut pars generalis, quamvis multo simplicior quam in C.I.C., fere completa sit, ita ut pauca quidem relinquantur legislatoribus particularibus; pars vero specialis caeat tantummodo de nonnullis delictis, quae necesse est in universa Ecclesia puniri (idque uniformi ratione), singulis legislatoribus servata potestate normas poenales de ceteris factis statuendi, quae secundum locorum conditiones punienda videantur. Alia autem per poenalia praecpta ecclesiastici superiores providere poterunt secundum necessitates et pastoralem prudentiam. Haec ideo facta sunt, quod difficile est antea videre quae facta expediatur ut sub poenae comminatione vetentur, praesertim quoties agatur de factis, quae, quamvis illicita, non directo attineant ad Ecclesiae vitam neque natura sua adeo grave dent scandalum ut debeat lex poenalis intervenire (praesertim si civitatis lex satis provideat).

Partem generalem dixi esse in schemate „fere” completam: nam illic quoque nonnulla visa sunt particularibus legislatoribus permittenda, ut praesertim factum est de delicti circumstantiis eximentibus, aggravantibus, attenuantibus, cum de nonnullis ex iis circumstantiis (ut de ebrietate et de passionis aestu) magna sit inter gentes diversitas in aestimatione.

Quod autem attinet ad partem specialem (de delictis in specie), animadvertisendum est, si in schemate non omnia delicta, quae in C.I.C. recensentur, enumerentur, non esse substantialiter mutatum sistema in C.I.C. adhibitum, sed diversitatem esse potius de quantitate: nam etiam iure Codicis vigentis legislatores particulares maximam habent libertatem leges poenales faciendi, in quibus et novas delictorum figurae concipere possunt, et etiam delicto, superiori lege punito, aliam addere poenam (cfr. C.I.C. can. 2220—2221).

Verum tamen est istam partis specialis reductionem esse veluti invitationem quandam ad legislatores particulares ut uberius utantur sua potestate leges poenales ferendi, et ad alios superiores ecclesiasticos ut frequentius utantur sua potestate poenalia praecpta ferendi. Ne tamen eiusmodi potestates non rite adhibeantur, schema cavit, principia quaedam, summaria quidem, enuntians, quae servanda erunt.

Sunt autem:

Can. 6. Qui legislativam habet potestatem, potest suis legibus quamlibet legem divinam, aut legem ecclesiasticam intra ambitum suae iurisdictionis vigentem congrua poena, vel ab ipso determinata vel prudenti iudicis arbitrio determinanda, munire; quod si quis legislativam potestatem de quibusdam tantum rebus habeat, de iis tantum potest poenalem legem ferre.

Can. 7. Dimissio e statu clericali lege particulari constitui nequit.

Aliae autem poenae eatenus constituantur, quatenus vere necessariae sint ad aptius providendum ecclesiasticae disciplinae.

Can. 8. Latae sententiae poenas ne comminetur legislator, nisi forte in singularia quaedam delicta dolosa, quae vel graviori esse possint scandalo vel afficaciter puniri poenis ferendae sententiae non possint; censuras, praesertim excommunicationem, ne constituant, nisi maxima cum moderatione et in sola delicta graviora vel in recidivos. Neque in delicta generali lege punita aliam poenam, nisi ex gravissima necessitate, consituat.

Quod autem attinet ad praecepta, schema vetat per praecepta imponere poenas indeterminatas et poenas expiatorias perpetuas; iubet praeterea ea servari, quae nuper vidimus in legibus particularibus poenalibus esse servanda (can. 9).

Ita, dum principium subsidiarietatis, quantum res sinit, servatur, incommodo cavetur quod ex eius principii observantia potest evenire, si videlicet non recte potestas exerceatur; aliud autem incommodum, quod timeri potest, id est nimia legum poenarium varietas, potest in ipsa episcoporum voluntate et conspiratione in uniformes leges per eandem civitatem ferendas remedium invenire (non potuit schema potestatem Conferentiis Episcopalibus dare, ne indebite coarctaret episcoporum, quae est iuris divini, potestatem).

Quod attinet ad poenarum species, schema ita se habet: poenae expiatoriae (ita, ex S. Augustini *De civ. Dei* 21, 13, vocantur poenae, quas C.I.C. vindicativas vocabat) enumerantur tantummodo exempli causa, ita ut singuli legislatores possint alias excogitare, quae quidem „christifidelem aliquo bono spirituali vel temporali privent, et supernaturali Ecclesiae fini sint consentaneae” (can. 3 § 1 n. 2); censurae autem recensentur omnes (excommunication, interdictum, suspensio), neque aliae possunt a particularibus legislatoribus addi. De expiatoriis poenis ita constitutum est in schemate, eo quod sunt poenarum species, quae alibi vim et aestimationem habere possunt (consideretur privatio habitus ecclesiastici).

Praeterea visum est non amplius esse recensendas poenas infamiae et privationis sepulturae ecclesiasticae: illam, quod nostrae aetatis menti contradicere videtur, hanc, quia non potest vera poena haberri (videbit autem legislator, cum de sepultura ecclesiastica normas dabit, utrum eam debeat servare necne).

Quod autem attinet ad censuram, servatae quidem sunt regulae — in quibus veluti inest censurae definitio — de non applicanda censura nisi contumaci, deque absolvendo eo qui a contumacia recessit; abolitae tamen sunt translaticiae illae normae de censura non cessante propter mutatam legem poenalem (cfr. C.I.C. can. 2226 § 3), deque effectu tantum devolutivo appellationis vel

recursus adversus sententiam vel decretum, quibus censura irrogatur (cfr. C.I.C. can. 2243 § 1).

De omnibus autem poenis fere abolita est reservatio, cum schema hanc tantum habeat de hac re norma: „Potest Apostolica Sedes poenae remissionem sibi vel alii reservare; reservatio autem stricte est interpretanda” (can. 41); et unicum casum delicti poena reservata punitum praevideat, id est vim physicam in Romanum Pontificem, ad periculum cavendum ne quis ecclesiasticus superior, Apostolica Sede impedita, ab ipsis perturbatoribus cogatur censuram remittere.

Item, non quidem abolitae, sed ad minimum reductae sunt poenae latae sententiae, secundum principium, quod in „Principiis quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant”, sub n. 9 enuntiatum est⁶. In pauca omnino delicta schema comminatur poenas latae sententiae (cfr. cann. 49, 51, 55, 62, 64, 68, 71); quod autem attinet ad leges particulares et ad pracepta, can. 8 et 9 vetant eiusmodi poenas statui, „nisi forte in singularia quaedam delicta dolosa, quae vel graviori esse possint scandalo vel efficaciter puniri poenis ferendae sententiae non possint” (scilicet quia delictum soleat esse occultum vel quia auctoritas facile impediri possit ne poenas irroget, etc.).

⁶ „Mens est ut poenae generatim sint ferendae sententiae et in solo foro externo irrogentur et remittantur. Quod ad poenas latae sententiae attinet, etsi a non paucis earum abolitio proposita est, mens est ut illae ad paucos omnino casus reducantur, imo ad paucissima eaque gravissima delicta” (*Communicationes* 1969, p. 85).